



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarum Literarum Primarij Professoris. Tractatvs De  
Legibvs, Ac Deo Legislatore**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1619**

Cap. X. Vtrùm potestas ferendi leges ciuiles pendeat ex fide, vel moribus  
Principis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94074](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94074)

lat. tit. 1. l. 8. d. idem significatur in legibus huius regni Lusitania lib. 3. tit. 75. §. 1. Vltimo inquiri hic poterat, an hæc potestas ferendi leges ciuiles delegabilis sit. Sed in hoc nihil occurrit addendum his, quæ in libro superiori cap. 4. in fine diximus.

CAPVT X.

*Vtrum potestas ferendi leges ciuiles pendeat ex fide, vel moribus principis.*

1. Hæresis P. v. d. V. v. i. c. e. p. h. u. s. C. a. s. t. r. o. A. r. m. a. c. a. n. u. s.

**H**anc quaestionem moueo propter hæresim Vvaldenfium ( vt refert Castro verb. *potestas* ) quos Vvicleph. & Ioan. Hus sequuti sunt, dicentes, Principes iniquos, vel infideles non habere ciuilem potestatem, & consequenter non posse suis legibus subditos obligare, quod etiam, vt referunt, sensit Armacanus lib. 10. de quaestionib. Armenorum. Fundantur, quia potestas regia ordinatur ad bonum commune; esset autem valde contrarium bono communi, si in huiusmodi iniquis hominibus talis potestas inueniretur, ac perseueraret; & ideo Saul statim priuatus fuit regno, postquam Deo displicere cepit. 1. Reg. 15. & de Regibus iniquis, generaliter dicit Deus Osee 8. *Regnauerunt, & non ex me*, id est, non legitima potestate. Hæc tamen sententia erronea est, & dampnata in Concilio Constantiensi, sess. 8. & 15. Vt tamen veritatem Catholicam breuiter explicem, dicam prius de fide, postea de moribus.

2. Reg. 15.

Cone. Const.

2. Vera sententia.

Eidem & reliqua super naturalibus non requiritur de iure, nam ratio ad potestatem legis latuam respicitur quæ sunt superioris ordinis.

3. Occurritur dubio.

Dan 2. Genes. 47.

4. 2. Par. conclusiois probatur.

Primò ergo certum fit, hanc potestatem neque fidem, neq; aliud donum supernaturale requirere in Principe, seu in subiecto, in quo existit. Probatur: nam vel conditionem hanc postulat iure naturæ, vel diuino positio, vel Ecclesiastico: nihil autem horum dici potest: ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia hæc potestas pertinet ad purum ius naturæ, vt supra ostensum est: vnde futura esset in hominibus, etiam si crearentur in puris naturalibus sine vllò ordine ad supernaturalem finem, & fuit in gentibus ante Christi aduentum, & nunc est in fidelibus non baptizatis præsertim in gentibus. Et ratio clara est, quia fides, & reliqua dona sunt superioris ordinis: ergo non possunt iure naturæ requiri ad hanc potestatem.

Dicitur fortasse, hoc argumentum rectè procedere de puro iure naturæ quatenus fundatur in solo lumine naturali: scilicet autem esse de iure connaturali gratiæ, quod fundatur in lumine fidei, quia supposita eleuatione naturæ humanæ ad finem supernaturalem, ipsum lumen supernaturale dicitur, non esse homines regendos, etiam in ciuilibus, & temporalibus, nisi per principes fideles, propter vitandum commune incommodum, quod ex contrario sequi potest. Sed hoc absq; fundamento dicitur. Quia ordinatio ad finem supernaturalem per fidem, vel alia dona, non mutat naturam huius potestatis, neq; impedit actus eius: ergo etiam posito lumine fidei non potest per veram rationem colligi potestatem hanc necessariò supponere fidem. Quamuis enim ex principijs fidei rectè colligatur, non esse obediendum magistratui temporali in his, quæ fidei, vel supernaturalibus præceptis repugnant, non inde colligitur, non posse esse verum Principem eum, qui fide careat, aut ei obediendum non esse in his, quæ pertinent ad rectam gubernationem politicam, & si ei non repugnantem. Quod etiam apertè confirmat Scriptura Daniel. 2. *Tu es Rex, & Deus cæli tibi regnum dedit*; erat autem infidelis, & Genes. 47. Ioseph fecit terram Aegypti tributariam Pharaoni, qui etiam erat infidelis. Constat ergo hanc potestatem ex natura rei in sola naturali ratione fundari.

Et possumus obiter addere, quamuis ad actualem usum eius requiratur usus rationis in habente illam; tamen ad ipsam potestatem non requiri, sc. quoad ius dominandi, & regendi: potest enim esse in pue-

ro, etiam ante usum rationis, vt patet in eo, qui iure hæreditario regnum obtinet statim à principio natiuitatis: ille enim, & ante rationis usum, & ante baptismum rex existit; habet ergo potestatem in habitu, licet per se illam exercere non possit. Et idem contingere potest in eo, qui ad tempus incidit in amentiam: nam si amentia sit perpetua, priuandus est tali potestate propter commune bonum. De quo alias.

Secunda pars minoris, quæ est de iure diuino positio satis ex eo probatur, qui ostendi non potest tale ius, neque ex Scriptura, neque ex traditione. Imò oppositum docent Paulus ad Rom. 13. & 1. Timoth. 2. & Petrus 1. canonica c. 2. vbi admonent fideles subditos esse Regibus, & principibus qui tunc do- minabantur, quos constat fuisse infideles. Nec dici potest, hoc fecisse Apostolos ad vitandum maius malum: nam expressè aiunt, illos esse ministros Dei & ab illo habere potestatem, eisq; obediendum esse, nõ tantum propter timorem, sed etiam propter conscientiam. Ex quibus locis constat, stando in iure diuino, hanc potestatem perseuerare in infideli, non solum respectu aliorum infidelium, sed etiam respectu Christianorum, qui aliàs iusto titulo subditi erant illi: nam de his in particulari loquuntur Apostoli in illis locis. Congruentia autem reddi potest, quia tale ius non fuisse congruum ad fidei propagationem, & cõseruationem: nam plurima scandala sequerentur, nec reges infideles permitterent, subditos ad fidem conuertere.

Atque hinc facillè constat aliud membrum de iure Ecclesiastico, quod auctoritate etiam negatiua sufficienter probatur, quia nullibi inuenitur. Ad maiorem autem intelligentiam distinguere possumus duplices reges infideles, quidam nunquam baptizati, nec apostate à fide; alij sunt hæretici apostate in priores non habet Ecclesia iurisdictionem directam; & ideo non potest illos punire, nec per se regni priuare. Si autem sub se habent fideles, & eos vel à fide auerterent, vel ab obedientia Ecclesiæ, vel aliàs ad prauos mores manifestè inducerent, tunc Ecclesiæ haberet iustum bellum contra illos, possetq; eos in defensionem innocentium, potestate, & regio priuare: quamdiu verò nõ priuantur, suam retinent potestatem. In posteriores autem habet Ecclesiæ directam potestatem, & per se, ratione baptismi, & ideo in potestate, & hæresis potest eos hac potestate priuare; hæc tamen verò non priuauit eos ipso facto, saltem quantum ad retentionem, & usum illius potestatis: imò nec de facto ab illa deijci possunt, donec per sententiam Ecclesiasticam declarentur, iuxta c. *cum secundum leges*, de hæreticis, in 6. & latius traditur in materia de Fide.

Circa alteram partem de moribus, dicendum est, potestatem hanc in hominibus iniustis, & iniquis permanere posse, & ita simpliciter non pendere ex moribus honestis. Conclusio est etiam certa de fide, quæ satis constat ex discursu totius Scripturæ, in qua legimus, plures Reges, tam in populo Israel, quam inter gentes fuisse iniquissimos, & nihilominus fuisse veros Reges, & David èt, ac Salomon, qui aliquando grauiter peccauerunt, non statim priuati fuerunt regno. Ratione ostendi potest discursu simili superius facto, quia hæc poena priuationis talis potestatis nullo iure lata est, ipso facto, contra Reges iniquos, nec fuisset conueniens, quia infinita perturbatio inde sequeretur, & omnes subditi facillè cõtra reges insurgerent. Explicari deinde potest in hunc modum, quia vel Rex, licet aliàs prauus sit, in legibus ferendis, seruat honestatem, & iustitiam, & tunc formaliter, & in quantum Rex, iustus est: malitia autem illa se habet quasi concomitanter, & ideo non refert ad hanc potestatem. Vel in ipsi legibus ferendis exercet iniustitiam, & iniquitatem, præcipiendo rem turpem, & tunc non inducit quidem obligationem

5.

6.

7.

SVA  
10  
12

per talem actum. Nam lex iniqua non est lex, nec potestas regia est data ad tales leges ferendas, iuxta ea, quae supra diximus de ratione legis. Possunt ergo tunc subditi, & debent non obedire regi in tali praeccepto, si de re iniqua sit, non tamen propterea possunt illi obedientiam absolute negare in his, quae iusta fuerint. Vel denique rex est iniquus etiam in usurpatione ipsius potestatis, quia tyrannice illam occupavit, & tunc verum est, illam iniquitatem excludere potestatem veram, non quia priuaret illa, sed quia supponit carentiam eius, eamque donare non potest, & tunc merito tali homini non obeditur, quia Rex non est, sed tyrannus.

8. *Dubium circa mores Principis.*  
 Occurrit autem hic incidens dubium circa hoc vltimum membrum, an in eo casu possint subditi licite obedire huiusmodi Principi, si alioqui ex parte materiae iustas leges ferat. Quod enim non teneantur, per se loquendo, manifestum est, quia illae non sunt leges, iuxta supra dicta, cum non procedant a legitima potestate. Quod autem possint, videtur persuaderi, quia possunt facere quidquid bonum est, vel non malum, licet non teneantur, cedendo iuri suo, & patienter vim alterius sustinendo. Imò adducunt multi auctores, posse tunc subditos postulare ab huiusmodi Principe, & concessionem gratiae, & actus iustitiae, qui in se iniusti non sint, quamuis ab illo iniuste sint faciendi per usurpatam potestatem; quia tunc non inducunt ad malum, sed ad minus malum: minus enim malum est sic gubernari, quam omnino non gubernari. Ita docuit Caiet. in summa, verb. Tyrannus, quem sequitur Armilla eodem verb. & Nauar. c. 14. n. 41. In contrarium autem esse videtur, quia obedire huiusmodi regi, etiam in his, quae alias honesta sunt, videtur esse cooperatio ad malum, & fauor iniustitiae, seu tyrannidis eius.

9. *Quaestio de potestate Tyranni.*  
 Breuiter dicendum cenfeo, quasdam esse actiones ita honestas, vt in nullis no documentum cedant, neque indigeant potestate publica, vt recte fiant, vt sunt deferre haec, vel illa arma, vel aliquid simile, vel etiam soluere tributum, quod licet ex parte exigentis requirat potestatem, ex parte soluentis illam non postulat, per se loquendo. Neque conditio tributi alteri afferre nocumētum, nisi soli soluenti, qui potest cedere iuri, vel vtilitati suae. Aliae vero sunt actiones, quae inuoluunt nocumētum tertij, & vt iuste fiant, requirunt potestatem publicam, vt occidere malefactorum, etiam dignum morte, & similes. In prioribus per se malum non est seruare leges, vel praeccepta tyranno data, quia illae actiones tales sunt, vt propria voluntate, & auctoritate possint honeste fieri sine lege. Quod autem fiant posita illa iniusta lege, non habet circumstantiam, quae reddat actum malum. Quia illa re vera non est cooperatio, sed tolerantia quasdam violentiae, quae nulli afferre nocumētum: ergo per se non est ibi malitia. Dico autem per se, quia oportet scandalum vitare, & non dare occasionem tyranno, vt in sua iniustitia infirmius perseueret, sed potius illi obfistere, quando sine incommodo fieri potest. At vero in posterioribus actionibus contrarium videtur, quia honestas illarum omnino pendeat ex vera potestate publica, sine qua nullus potest exequi, vel condemnare alium, etiam in peena iusta, nisi habeat publicam potestatem, quam tyrannus dare non potest. Sed in hoc etiam aduertendum, seu subdistinguentum est: nam hoc in rigore est verum, quantum est ex parte tyranni: contingit autem vt res publica, quia non potest illi resistere, illum toleret, & ab eo se gubernari sinat, & tacite consentiat, ac velit, iustitiam per ipsum administrari propter rationem tactam, quia minus malum est, per illum gubernari, quam omnino carere iusta coactione, & directione; & tunc non erit peccatum obedire, etiam in dictis actibus, quia Reipublicae consensus supplet defectum potestatis tyranni.

10. Ad fundamentum contrarij erroris respondetur,

multo maiora incommoda contra bonum communi ne sequi, si potestas civilis pendeat ex priuata fide, vel bonis moribus ipsius principis, quia nulla esset pax, neque obedientia in republica, sed quilibet subditus vellet superiorem suum iudicare, & consequenter illi obedientiam negare, quod absurdissimum est. Quocirca licet peccator forte mereatur priuari regno, tamen quamdiu illo non priuatur ab habente potestatem verus rex perseuerat, atque ita contingit in Saule, donec permittente Deo occisus est. Quod *Saul.* autem dicitur *Osea 3. Regnauerunt, & non ex me, plures* habet expositiones, de quibus videri possunt *O. rig. Homil. 4. in lib. Iudicum, Hieronym. & Expositores* ibi. Verus sensus mihi videtur, ibi reprehendi reges iniquos Israel, non quia reges non essent, & gubernarent, sed, quia cum reges essent, male gubernarent, hoc enim significat regnare non ex Deo, quod statim explicatur, quia inducebant populum ad idola colenda, & similia.

CAPVT XI.

*Virum finis potestatis, & legis civilis, prout nunc est in Ecclesia, sit alius a fine eiusdem potestatis, & legis, ut in pura natura, vel in genibus spectari potest.*

Diximus dari in hominibus potestatem ad ferendas leges, atque adeo has leges esse posibles, vt autem natura, & necessitas earum magis declaretur, oportet finem illarum, ipsiusque potestatis generatim considerare, quod in hoc capite praestandum est. Statimque occurrit opinio Fortunij Garcia tract. de *Finem iuris* vltimo sine vtriusque iuris, vbi contendit suadere, *finem iuris* civilis esse eundem cum fine iuris canonici, habereque eandem originem, eademque principia. Vnde multa inferit, quae postea examinanda sunt. Nam de hac opinione quatenus comparationem facit inter vtrumque ius, in lib. sequenti dicendum expresso est, quia non explicato prius vtroque extremo, non potest eorum comparatio fieri aut intelligi. Hic ergo solum de potestate, ac iure civili absolute spectato in ordine ad suum finem opinio haec tractanda est. Sentit ergo Fortun. finem iuris civilis esse non solum externam pacem, & iustitiam Reipublicae, sed etiam veram, & internam hominis felicitatem, ac salutem. Ita significat ibi. nu. 6. iunctis, quae dixerat n. 2. Vbi eundem finem iuris Canonici posuerat, & inde concludit esse eundem finem vtriusque iuris. Vnde necessaria est, vt vel sentiat, finem canonici iuris esse tantum externam politiam humanam, quod valde absurdum est, vel oportet, vt sentiat, finem iuris civilis non sistere in humana politia, & externa pace, ac iustitia reipublicae, sed etiam tendere ad veram felicitatem humanam.

2. Quia vero haec opinio statim apparet incredibilis intellecta de iure civili, & de potestate ferendi illud, prout esse potest in pura natura, & in principio libri a nobis explicata est, ideo Nauar. in *Commen. de* finibus humanorum actuum, n. 29. ita illam interpretatur, vt intelligenda sit de iure civili, quatenus est a Christianis Imperatoribus, & Regibus compositum, aut probatum: sic enim etiam ipse ait, veram felicitatem aeternam, quam credimus, & speramus esse finem iuris civilis. Quia licet ipsa potestas de se non tendat in illum finem, nihilominus vt est coniuncta fidei, in illum referri potest, & debet: & ita et eius actus, qui est Lex civilis, a legislatoribus Christianis in eundem finem refertur. Quod suadet ipse Nauar. ex inscriptione Codicis, & Proemij digestorum a Iulianiano editi, quae sic habet, *In nomine Domini nostri Iesu Christi, &c.* Et eandem habet in declaratione iuris civilis, quae habetur in fine legis 2. de veteri iur. civile. Et in Epistol. ad Tribonianum, quae incipit, *Deo* auctore

Handwritten marginal notes on the right side of the page, including the word "ECCLESIA" and other illegible characters.